

Q.K.238,25.

LAVDATIO FVNEBRIS

VIRI
QVONDAM SVMME REVERENDI
ATQVE EXCELLENTISSIMI
IOHANNIS GOTTL
CARPZOVII

S. S. THEOLOGIAE DOCTORIS
SACRORVM PRAESVLIS APVD LVBECESES
IMMORTALITER MERITI
RELIQVA

IN
AVDITORIO CATHARINIANO MAIORI

A. D. VI. KAL. AVG. A. MDCCCLXVII

DICTA

A

JOHANNE DANIELE OVERBECK


GYMNASIi LVBECA. RECTORE
SOCIETATVM TEUTONIC. GÖTTINGENS. ATQVE IENENS.
COLLEGA HONORARIO.



LVBECAE

EXCVDEBAT GEORGIVS CHRISTIANVS GREENIVS
MAGNIF. SENAT. TYPOGRAPHVS.

LIBRARY
PATER
HAROLD G. MANN LIBRARY



LAVDATISSIMAE APVD NOS
STIRPI CARPZOVIANAE

MATRONAE NOBILISSIMAE ET OMNI GENERE
VIRTUTVM DECORATAE

**SOPHIAE BENEDICTAE
CARPZOVIAE**

VIRI QVONDAM
NOBILISSIMI ET AMPLISSIMI
HERMANNI ADOLPHI LE FEVRE

I. V. L.

REIPUBL. LVBEC. SECRETARIi MERITISSIMI

RELICTAE VIDVAE

E T

MATRONAE NOBILISSIMAE AC QVALIBET VIRTUTE
PRAESTANTI

**IOHANNAE FRIDERICAE
CARPZOVIAE**

VIRI QVONDAM

NOBILISSIMI ET FLORENTISSIMI MERCATORIS

BERNHARDI CAROLI FÜRSTENAV

RELICTAE VIDVAE.

DEINDE
VIRO NOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO
IOHANNI GOTTLÖB
FÜRSTENAV

I. V. CANDIDATO DIGNISSIMO

ITEMQUE

MATRONAE NOBILISSIMAE SVIQUE SEXVS VIRTUTE
QUALIBET ORNATAE

DOROTHEAE BEATAE
FÜRSTENAV

VIRI QVONDAM

NOBILISSIMI ATQUE EXPERIENTISSIMI

HENRICI BALEMANNI

MEDICAE ARTIS VTI DOCTORIS ITA EFFECTORIS

CELEBERRIMI

RELICTAE VIDVAE

DENIQUE

VIRO IVVENI PERQVAM LAVDABILI BONAEQUE SPEI

GERHARDO HENRICO
FÜRSTENAV

REI MERCATORIAE STUDIOSO

LAUDATIONEM HANC FVNEBREM
HINC PATRIS HINC AVI SVI

DESIDERATISSIMI

D. D.

AVCTOR.



Quod DEVS immortalis, Theologorum exemplarum summum
piorumque hominum omnium, bene ac feliciter
euénire iubeat!

M A G N I F I C I
E T
ILLVSTRES REIPVBЛИCAE CONSVLES
&c. &c.
AVDITORES OMNIVM ORDINVM
STUDIOSE COLENDI.



Magna Vos esse credo in exspectatione, Auditores,
quum de Theologo magno me hodie dicturum
esse receperim, quid de hac re tali atque tanta,
aut accommodatum huic argumento, aut dignum
Vestrīs auribus, ego tandem in medium afferre queam, qui
fortasse non magis inter Theologos referendus esse videar
nonnullis, quam accensendus oratoribus. Quam ego Vestram
exspectationem, Auditores, si quid mihi a Vobis iniqui
pertimescendum arbitrarer, quod abest longissime, aduersa-
riam mihi constitutam esse grauissimam existimarem, propter
ea quod non minori cum anxietate dicere consueuit fere
quisque, de quo nimis exigua sibi promittunt ii, qui au-
diunt,



diunt, quam de quo sibi nimis magna atque inusitata pollicentur. Mihi enim quid animi supereesse posset, si in ipso hoc dicendi exordio instaretis, ut negavit olim PLINIVS⁽¹⁾, posse aut de artifice quemquam, qui non sit artifex, aut, qui non sit sapiens, iudicare de sapiente, ita neminem, qui non sit Theologus, apte posse dicere de Theologo?

Atqui orator si essem, fortasse vix obesset illud carere nomine et existimatione Theologi, modo vera essent, sicuti videntur esse, quae dixit apud TVLLIVM⁽²⁾ Crassus, oratorem, qui cognoverit ab iis, qui tenent, quae sint in quaquer, multo melius, quam ipsos illos, quorum eae sunt artes, esse dicturum. Aut si possem meo iure Theologos inter, qui habentur aliquo numero, nomen meum profiteri, certe me adiuuaret illud, quod SOCRATES⁽³⁾ dicere solebat, omnes in eo, quod scirent, satis esse eloquentes. Nunc quum et magni Theologi laudem et magni dignitatem oratoris aequali spatio a me distare non negem, quanam alia me fiducia nisi creditis, Auditores, quam illa, quidquid tandem a me dici queat, id ipsum fore, ut acqui a Vobis bonique consulatur? Est enim huius negotii, quod a me hodie suscipitur, ea pietas, rei, de qua dicendum est, ea dignitas, VIRI denique, cuius magnitudo inter dicendum ante oculos versabitur Vestros, ea auctoritas, ut non modo mediocritas mea, sed paene dixerim cuiuslibet oratoris exilitas, in hac re tam digna fauore Vestro, non posse videatur admodum Vobis displicere.

Nam

⁽¹⁾ Lib. I. Ep. 10. *Vt enim de pictore, sculptore, factore, nisi artifex, iudicare; ita nisi sapiens, non potest perspicere sapientem.*

⁽²⁾ de Orat. Lib. I. c. 15. f. 65.

⁽³⁾ Apud eundem CICERONEM Ibid. c. 14. f. 63.



Nam qui ciuitatis huius a septimo inde et trigesimo
anno tantum lumen fuit et tantum ornamentum,

IOHANNES GOTTLLOB CARPZOVIUS,

S.S. Theologiae Doctor, et re et nomine celeberrimus, Sacro-
rum apud nos Praeful exoptatissimus, Vir quondam summe
reuerendus atque excellentissimus, quum aeternam sibi memo-
riam apud omnes dudum meritis pepererit immortalibus, a
Vobis profecto tanta laude celebratur, Auditores, tam grato
colitur animo, tanta et admiratione afficitur et veneratione,
vt et laus Ipsius, vel ab indiserto quolibet asserta, iucunda
Vobis certissime et accepta futura sit, et homo, minime licet
omnium rerum peritus, Illius si laudes celebret, aliqua et ipse
laude afficiendus esse videatur.

An igitur necessarium est, vt mihi vindicem quidquam
earum rerum, quibus censemur Theologi? An indicabo, sex
septem me quondam annis, quum in celebritate versarer aca-
demica, sanctiori disciplinac potissimum incubuisse? Magno
iunctum fuisse Theologo (4) et discipuli nomine, et inquilini,
et

(4) IOHANNI LAVRENTIO A MOSHEIM, cuius Helmstadii auditor
fui ab Anno inde Saeculi XXXV, vsque ad XXXXII, inquilius ab
A. XXXV vsque ad XXXXI, conuictor ab A. XXXVI vsque ad XXXXII.
liberorum magister ab A. XXXVI vsque ad XXXXII. quo anno Qued-
linburgum abiui. Recordabor autem, quoad viuam, non modo beneficia,
quaes sunt a Virorum Optimo profecta in me, innumera, sed in primis
quoque, quae ego, quum alias, tum praeferim longo tempore Viri
summi praeter Vxorem Liberosque conuictor vnicus et prandentis lateri
iunctus, ex Illius ore percepit.

O quoties ex quae nobis est ILLE locutus!

Vt mea faciam verba paululum mutata VIRGILII, Ecl. III. 72. Quam
saepe, vt vnicum illud attingam hoc loco, mihi commendauit immo
prope inculcavit illud, humaniores, quas dicunt, literas, quas egregie ni-
mirum callebat ipse, Theologo futuro magis esse necessarias non philo-
sophia modo, in qua ipse me voluit diu multumque FROBESIO duce
versari, sed sole propemodum ipso et finitate firmaque valetudine!
Conf. b. VIRI Kurze Anweisung die Gottesgelahrheit zu erlernen,
p. 62 sq. & p. 96. item p. 175 sqq.

Ante



et conuidoris, et liberorum magistri? Multa hausisse ab eodem, non vbiuis vnicuique obuia? Theologiae me etiam ab eodem, inde tempore non vulgarem operam dedit? Denique rerum, quas in hoc Gymnasio doceri a me voluit AMPLISSIMVS SENATVS, ex quo me muneri huic, quod nunc administro, praefecit, omnium praestantissimam et esse et a me haberi, antiquissimamque Theologiam? Haecce, inquam, et alia vrgebo? Non faciam, Auditores, ne aut aequitati Vestrae videar dissidere, aut de me nimis multa dicendo VIRI MAGNI, de quo dicturus sum, detrahere dignitari. Ostendendum est enim, non, in me quid situm sit, aut de me quid iudicari oporteat, sed

quantum in CARPOVIO instar fuerit
Theologi.

Quod orationis argumentum, Auditores, ita iamiam Vobis video placere, vt propere ad illud accedendum sit, ita magnum et illustre videri, vt in illo verba deesse nemini facile possint.

Ac sane huius eiusdem orationis difficilius est exitum, quam principium, inuenire, quocirca non mihi tam cōpia, quam modus, in dicendo quaerendus est. Ergo quae tria ad eruditionem esse necessaria dixit ARISTOTELES, (5) ad iūstitiam

*Ante leues ergo pascuntur in aethere cerui
Et freta destituent nudos in littore pisces,*

Quam nostro illiis labatur pectore vultus.

Nam et haec verba eiusdem VIRGILII, Ecl. I. 60 sqq. quadrabunt in me semper, ad MOSHEMIVM applicata.

(5) Τριῶν ἐφί δεῦ (οἱ Αἰγιστέλης) παιδία· φύσεως, μαθήσεως,
Ασκήσεως. DIOGENES Laërt. Lib.V. c. 1. §. II. p. 468. ed. LONGOL.
Tria dixit requiri (ARISTOTELES) ad eruditionem: Naturam,
Doctrinam, Exercitationem.

❧ * ❧

stitiam seruandam PLUTARCHVS⁽⁶⁾, eadem ego arbitror oportere concurrere, ut magnus aliquis existat Theologus, eximiam scilicet *primum* illustremque naturam, *deinde* rationem quandam conformatiōnēmque doctrināe, *denique* laboriosam et accuratam exercitationem. Quocirca in tribus his rebus, Auditores, omnis mea versabitur oratio, ut
 et, quantus ingenio fuerit CARPOZOVIVS, recor-
 demini,
 et, quantopere arte qualibet decenti & scientia eruditus,
 et, quam spectabilis industria sua varioque rerum vſu et
 multiplici exſtiterit.

Principio ingenium spectate VIRI, qui tot a natura tan-
 tisque dotibus ornatus erat unus, ut difficile esset, totidem
 atque tantas deprehendere in multis. Nam quum alii nascan-
 tur dociles, alii veloces, alii acuti, alii memores, alii saga-
 ces, alii vberes, alii subtile ad limandas res singulas, alii
 multarum capaces, alii impigri ad scrutandum abſtrusas, alii
 faceti, affabiles, iocosi, prouidi, laboriosi, patientes, Ille omni-
 bus his rebus unus excelluit.

Qua de re ut pauca dicam, Auditores, quae fuit illa et
 quanta docilitas, quod artes, quibus aetas iuuenilis ad huma-
 nitatem informari solet, tam cito arripuit, ut, quum vix ex
 pueris excessisset, ciuitatem ingrederetur academicam? Quod
 deinde, quum doctrinas accumularet doctrinis et aliquoties
 libros, magistros, denique locum mutaret, omnia tamen et
 addisceret breui et distincte ordinateque disposeret? Quod

B

tandem,

(6) Εἰς τὴν παντελῆ δικαιοπραγίαν τρία δεῖ συνδραμεῖν· φύσιν
 καὶ λόγον, καὶ ἔθος. Καλῶ δὲ λόγον μὲν τὴν μάθησιν, ἔθος
 δὲ τὴν ἀσκησιν. Ut quisquam omnibus iustitiae fungatur officiis,
 tria debent concurrere: Natura et ratio et assuetudo. Dico autem ra-
 tionem nunc eandem, quam doctrinam, assuetudinem vero exercitatio-
 nem. PLUTARCH. περὶ παιδῶν αὐγωγῆς cap. 3. Tom. II. Opp.
 Francof. 1620. fol. p. 2.



tandem, fere ut PAVLVS Apostolus, quibusuis quiduis fuit
(7), aulicis hominibus, ut aulicus, peregrinis, ut aliquis pere-
grinus, alicui patrifamilias, ut vnu de multis, quibuslibet
viris summis, quasi horum consortio assuetus, alio tempore
par infimis? Quod idem cum principe, cum ciue, cum magno
viro, cum humili, cum mercatore, cum artifice, cum milite,
cum sellulario opifice, cuiusque conditioni potuit conuenien-
ter agere?

Iam vero incredibiles animi motus et ingenii celeritatem
saepè videbunt ii, quibus contigit olim crebra Illius consuetu-
dine frui. Quibus certe non difficile foret, ut CAESAR CICE-
RONIS (8), aliorum alii, collegent apophthegmata, sic eius
acute celeriterque dictorum atque responsorum aliquam cogere
multitudinem. Sed apparuit idem interdum quoque publice,
ut Lipsiensibus quondam, non modo tum, quum seditionem
aliquando studiosae plebeculae celeri consilio, nec opinato,
sedauit (9), sed etiam in re maiori, quum die quodam suppli-
cationum publicarum eandem in concionem sacram, ex qua
semel domum redierat, iterum opinione citius obstupefactis
auditoribus adscendit, quia, qui spoponderat operam vica-
riam, emanserat, et ita dixit ex tempore praeter illum morem,
quem alias tenebat, accurate semper meditateque dicendi, ut
orationem eius qui paullo ante percepérant priorem, non
minus copiosam bonaęque frugis plenam exaudirent alteram.
Nec enim aliud animaduerterunt omnes, nisi solius argumen-
ti,

(7) Τοῖς πᾶσι γέγονα τὰ πάντα 1 Cor. IX, 22.

(8) Adiūtum Caesarem, quum volumina iam conficeret ἀποΦθεγμάτων
(eadem, ut volunt, quae apud SVETONIVM in Caesare c. 50. Dicta
collectanea dicuntur), si quid afferatur ad eum pro meo, quod meum
non sit, reiçere solere. Quod eo nunc magis facit, quia viuunt mecum
fere quotidie illius familiares. Incident autem in sermone vario multa,
quae forrasse illis, quum dixi, nec illiterata nec infusa esse videantur.
Haec ad illum cum reliquis actis perforuntur. Ita enim ipse mandauit.

(9) Vid. Critische Betrachtungen vnd freye Vntersuchungen &c. Bernae
1743. 8. p. 61. sq.



ti, inter utramque, temporisque discrimen. Ut taceam, in ipsa illa, qua misericordia valebat, linguae volubilitate promptaque sermone, quidquid tandem ageret, insignem hanc, de qua dico, ingenii velocitatem cerni potuisse.

Acumen autem Eius ecquis est, qui non ex his, quae scripta reliquit, abunde perspexerit? In quibus innumeris excusit tanta facilitate controversias, tanta dexteritate, iusto semper obseruato discrimine, obscuris clara, iniquis recta, vera falsis opposuit, ut in summa quavis rerum coniunctione prope nullus error superesset. Et adsunt hic, Auditores, certo scio, qui recordentur, in ipso disputationum confictu colloquiisque variis de re sacra bonarumque artium disciplina varie institutis, quam acute necessaria quaelibet enuclearet, quae obiicerentur, solueret, quae inuoluerentur, explicaret. Quid, quod in ipsa Theologiae penetralia per eam erat philosophiam ingressus, quam qui non perspicaci sit admodum et acuto ingenio praeditus, ad nullam rem aliam utiliter adhibere possit?

Age memoria, decernite, Auditores, quantum valuisse putetis eum Virum, qui linguas intellexit, uti latinam atque graecam, sic Ebraeam, Chaldaicam, Rabbinicam, Syriacam, Gallicam, Belgicam, Anglicanam, alias, harumque nonnullas ita sciuit penitus et recte, latinam in primis, et Graecam, et Ebraeam, quasi vnamquamque solam didicisset? Qui in omni temporum erat memoria a teneris inde versatus? Qui nomina virorum, vrbium, locorum habebat in promptu? Qui, quae pueris dictantur, ea ipsa recordabatur omni aetate, quotiescumque erat libitum? Qui diuina oracula quavis occasione, sed nunquam fere citabat non indicato libro & capite et parte saepissime capitibus, vnde deponita essent? Qui memoriter omnia, quae publice dicebat, et ita, ut literis ante consignauerat, proferebat in publicum, nec ab illo more, ne in extrema quidem senectute, desisciebat? Qui senex denique, quoties imbecillitatem accusabat memoriae, fere nihil culpare poterat, quod non et vsu venire solet vnicuique perquam iuueni.



Sed memoria tam bona qui fuit, an idcirco minus ingenii viribus aliis valuit? Auditores! Annon exemplo suo redarguit illorum vanitatem, qui, quo meliore quis memoria sit, eo minus eundem esse sagacem perhibent? Annon egregie, quo pertinerent omnia, quae perciperet, quid de re quaque iudicandum esset, quid nunc agendum, quid alio tempore, agnouit? Annon prope diuinare, quid euenturum esset, saepissime est visus? An etiam, sagacitate hac si caruisset, tam multis artibus, in primis illa Critica, qua pollebat omnium testimonio maxime, tantopere excelluisset?

Vbertate vero tanta fuit, quantam tribuere illi Viro convenit, qui tam multos exclusit ingenii fetus, et in tanta rerum varietate habuit semper, quod diceret atque scriberet, omnique tempore tam copiose potuit, tam apte, tam ornate dicere, tam eleganter enucleateque scribere. Quam subtilis idem fuerit ad exigenda singula, non solum eo, quod errores canueret scribendi et loquendi in rebus etiam minutis, item elegantia qualibet ostendit orationis atque stili, ipsiusque cultus atque vestitus, sed etiam industria singulari, qua digniores res plurimas, exempli gratia Iudaeorum antiquitates, saepe minutatim, quemadmodum in G O O D W I N I notissimo libro explicando, examinavit. Quibus quidem aliquis specimini bus multis impigram simul alacritatem ad patefaciendas res penitus abstrusas atque abditas probauit.

Quam vasto iam ingenio praeditus ille quaeso fuit, qui res, qui linguas, qui literas, sacras, profanas, vetustiores, recentiores, difficillimas, dissimillimas, vnuſ ira fuerat animo complexus, ut, quotiescumque posceretur, apposite posset et ad rem accommodate de singulis verba facere! Qui nec intacta reliquerat Archimedea problemata, neque Physicorum experimenta, neque arcana Politicorum, neque Chronographorum certamina, neque inuenta Geographorum, nec denique oblectamenta Poëtarum. Solertissimum dixisses, qui totus

❧ * ☙

totus quantus artibus emollitus erat et ingenuis disciplinis exercitatus. Idem in omni sermone omnibus affabilis et iucundus, idem, vbiunque res tempusque pataretur, facetiarum plenus et urbanitatis, idem multi ioci, senex quoque, quoties aut hilaritas sermonis, aut aliquarum rerum seueritas erat sale dulciori condienda. Sed idem in tanta ingenii felicitate atque vertute summe prouidus, in ingenti dicendi agendique facilitate laboriosissimus, in insolita mentis acrimonia vique incredibili patientissimus. Id quod rerum ab ipso gestarum, librorum item eius, dictorum denique factorumque documenta innumera probauerunt.

Sed ad eximiam hanc illustremque naturam, Auditores, ecquam accessisse putatis rationem conformatiōnēmque doctrinæ? Scilicet accuratissimam omnium et longe solidissimam. Ut enim haecenī, Auditores, iudicauistis, nisi fallor, CARPZOVIVS his praeditum ingenii dotibus ad eruditōnēm peruenire potuisse, nullorum etiā magistrorum ope, vel admodum paucorum, fuisset adiutus, ita nunc certe iudicabitis, etiam tardiorēm quemque hominem debuisse exuere inertiam, ita qui fuisset institutus et subactus, ita quendam in gyrum ductus rationis atque disciplinae, quemadmodum CARPZOVIVS.

In quo se diuina consilia iunxisse videbantur humanis. Est enim magnum et in primis salutare Theologo futuro, ita genitum esse diuina quadam sorte nascendi, vt plurima statim, quae ad feliciter educandum hominem pertinent, reperiantur in ipso genitore, ita gubernari a parentibus, ita duci atque formari, vt ne quid ab hominibus in eo genere peccetur. Quia in re quo quæsio et quanta dicemus inesse quasi compendia felicitatis? Quod idem quoque cognitum fuit atque perspectum in CARPZOVIO.

Parens enim, ipse Theologus magnus tantaque doctrina Vir atque prudentia, quanta pierate conspicuus, dignus deni-

B 3

que



que fastigio illo, quod Theologos inter occupauerat⁽¹⁰⁾, simul atque vidisset in Filio inesse cuncta, quae, si vita supppereret, et virum minarentur haud vulgarem et literis sanctioribus aptissimum, ita res eius dispositus omnes et ordinauit, vt ne quid incidere posset, quo spes falleretur de illo concepta, sed vt omnia dirigerentur eo, quo dictum est. Itaque in aula quum viueret illustri atque splendidissima, vbi aliis quisque putauisset haud dubie, nec omnino sine causa, scholam aperiri quotidie, discendi multa, quibus egregia pueri nutritur indoles, idemque ad noscendos hominum mores, ad vitae cultum et elegantiam, ad acuendum exercendumque ingenium, ad caute, ad prudenter agendum mature feliciterque instruatur, ille circumspete faciendum esse iudicauit. Malorum enim vidit illecebras his esse tot opportunitatibus adiunctas: Se vero muneric grauitate, negotiorum multitudine vitaque occupatissima impediri, quo minus, quae nocere possent, omnia praecaueret. Ac praeterea quum sit multum, vt ait Poëta⁽¹¹⁾, consuescere in teneris, in aulae strepitu cur versaretur ille puer, qui sacro d ei seruitio dicatus erat? Inter aberrantes multos, innocens? Vario in discrimine tutandus? His causis, vt appetet, adductus, ex ista hominum celebritate Filium in quandam solitudinem, ex urbe ampla et copiosa in opidum, turbulentis ex rebus et inquietis deduxit in otium.

Viuebat in episcopi, quae dicitur, insula, quod oppidulum est Misniae trium lapidum interuallis cum dimidio Dresda distans, integerrimus vir et eximia pietate sanctissimaque disciplina tinet et interioribus literis, quum humanioribus tum diuinioribus egregie doctus, qui sacri illic diaconi munere fungere

⁽¹⁰⁾ SAMUEL BENEDICTVS CARPOZOVIVS, S. S. Theologiae Doctor, in aula potentiiss. Poloniae Regis, Electoris Saxoniae, primarius concionator, et rerum sacrarum supremique Consistorii Consiliarius, quem aliquando, sed frustra, Lubecenses ad accipientiam apud se prouinciam eandem, quam Filius ad finem usque vitae ornauit, euocauerant. Mortuus est Dresdae Anno Saeculi huius VII. a. d. xxxi. Aug.

⁽¹¹⁾ VIRGIL. Georgic. II. 272.



fungebatur⁽¹²⁾. Apud hunc tener annis viuere iussus a Patre CARPZOVIUS ab omni tutus animi morumque corruptione degit a sexto inde anno aetatis ad septimum decimum, et ita degit, ut acciperet a virorum optimo permulta, quae quum pieratem ingenerare possent in animo vere Christianam, tum fundamenta ponere solidissima, quibus esset eruditio nis aedificium firmissimum aliquando superstrandum.

Nec vero deseruit eum post atque dimisit eadem prouida solersque cura venerandi Parentis, sed omni tempore, quoad ille ipse vixit, amplexata est atque moderata. Maxime tum, quum tirocinii quibusdam puerilis disciplinae positis ingrediendum esset iter academicum. Ea enim in parte vitae discentium quisque, tanquam Hercules in biuio, quum gravissima fere solet subire pericula, tum & indolis suae specimina et mentis edere et voluntatis. Itaque tum maxime id egit Pater optimus, ut et liberius viuendi potestas Filio ne decesset et esset tutius faciliusque pietarem et industriam & omnes animi virtutes exserere, expeditius denique, eam Theologi mensuram, quam ipse animo conceperat, implere.

Qua in re sicut in pluribus, humanam sapientiam est antegressa diuina. Quid enim minus hominum arte potuerat et industria effici, quum ut illa tempora doctissimorum et viorum et Theologorum copiam tantam haberent, quantam alia posthac inopiam, et ut CARPZOVI Pater cum plerisque hominibus illa aetate magnis et eruditione claris aliqua necessitudo intercederet? In omni Filius Germania, si voluisset, immo extra Germaniam, habuisset, a quibus non modo disceret, sed et ipsius causa Parentis amaretur. In primis academias duae proximae, Lipsiensis atque Wittebergensis, et tertia Altorfina, his omnibus sese rationibus tantopere commendare videbantur, ut omnes visendas esse, decretu facile, illa vero deliberatio difficilis esset, quamnam primum visitandam arbitrarentur.

Electa

⁽¹²⁾ VALENTINVS SCHVLTZE, postea Schandauiae propter Albim in finibus Bohemiae Christiani gregis Pastor.



Electa tandem est Witteberga. Non tamen, vt ipsi statim Theologiae daretur opera. Non sedebat is animus CARPZOVIO, non sic erat a patre institutus, vt tantopere putaret sibi festinandum esse. Illi enim horum studiorum quaenam erat quaeſo ratio ingredienda? An vt rudimenta rerum Theologicarum aut sola ſufficerent, aut neglecta transſilirentur? An vt diurna literaria poffe recenſere, legere, nonnunquam intelligere, item expilare, interdum vero dicis cauſa vituperare, Specimen eſſet vnicum atque documentum viri sapientis atque docti? An vt philosophiae nescio cui, Theologiae nescio quid cito iunctum & temere admixtum, eſſet ipſe paſtus eruditii hominis, integra ratio, vis omnis, magni Theologi? An vt in concionibus eſſet aſſiduus, qui vix apparuifet aliquoties in ſubſelliis diſcentium? An vt tiro ſocietatem aliquam ingressus aut Germanicam aut Latinam ſibi videretur omne faſtigium adſcendiffe doctrinae? Vt loquentiae magna eloquentiae exigua ratio haberetur? Vt ſapientiae conſultus inſipientis aſtra feriret ſublimi vertice, ſi cum ratione deſpere ſequi in errorem & alios detrudere didiſſet? O quam longe ab his deliramentis aberat CARPZOVIVS!

Integro ille biennio, quod exegit Wittebergae, cuſtodiæ traditus atque tutelæ duumuirorum longe doctiſſimorum⁽³⁾, a Theologia ſe temperauit, nec quidquam aliud, niſi diſcidi, excoluit, exercuit ea fere in academia, quae a caeteris, plerumque ſatiſ oſcitanter, in hiſ ſcholis tractantur inferioribus, quarum ille nullam anteā frequentauerat, eoque magis, quae ſibi deeffe poterant, ea compenſare nitebatur. Ille ſtili elegantias latini humaniorumque literarum omnium, ille hiſtoriam, quum ſacram, tum literariam, tum ex parte quoque ciuilem

⁽³⁾ CHRISTIANI ROEHRENSEE P. P. O. quem eundem in Ethicis atque Politicis praeeptorem habuit, et ſummi poſtea Theologi, tum A. M. et philofophorum ordini Adiuncti, GOTTLIEB WERNSDORFFII, qui ſtata quadam dici hora ſolum ſolus in omni diſciplina humanitatis iſtituit ſtilique latini elegantias docuit, denique ſcientia auxit Dialectica et Pneumatica.

civilem, ille Dialeticam, ille Metaphysicam disciplinam, ille Pneumaticam, Ethicam, Politicam; ille linguas, hebraicam in primis, adhibita studiosa lectione codicis hebrei, atque gallicam, ita coluit diligenter atque vnicę, multorum ope summorum virorum atque clarissimorum⁽¹⁴⁾, quasi nihil amplius sibi discendum supereret. Quamquam supererat illud, quod erat maximum, Theologica scientia, cui soli, ut omnia tandem ipsius, ita haec quoque dicabantur. Ita minoribus ante mysteriis aliquo tempore initiandos olim fuisse accepimus apud Graecos, non sine vario rerum apparatu, nec parum operose, ad maiora si qui admitti animum induxerant; modo fas est, sacra haec cum profanis illis rebus comparare⁽¹⁵⁾.

Alterum CARPZOVIVS biennium cum dimidio anno consumit Lipsiae⁽¹⁶⁾, sed principio ita, quod mireris, ut qui

C nondum

⁽¹⁴⁾ Scilicet praeter hos, quos modo dicebamus, et gallicae linguae magistrum LE ROI, WOLFII, SCHVRTZELEISCHII, EDZARDI, NEWMANNI. Qui postremus eum Saturni diebus singulis ea docuit, quae florēt merito dicas historiae litterariae, librorum praeципue rationem quoque in genere praestantissimorum & artem quandam meliora ex iisdem excerpendi, & recondendi ad usus futuros.

⁽¹⁵⁾ Comparauit tamen sacra haec cum profanis illis rebus etiam more suo CLEMENS Alexandrinus Strom. Lib. V. p. 424 ed. SYLBVRG, Lugd. Bat. 1616. fol. & alibi passim. Minora vero mysteria peragebantur Agris, mensē Anthesterione, maiora Eleusine, mensē Boëdromione. MEVRSIVS de Eleufiniis c. 6. Thes. GRONOV. T. VII. p. 126. Atque in minoribus præparabantur homines ad maiora variis modis, castitati studendo, lauando, vt mentem manusque puras haberent, coronas neciendo, sacrificando, leges ritusque mysteriorum ediscendo & quae fuerunt similia. MEVRSIVS ib c. 7.8.9. Iisque rebus quinquennium ipsum exigebat. Quocirca TERTULLIANVS aduersus Valentianos in: *Epoptas*, inquit, (futuros intellige Epoptas, h. e. eos homines, qui fieri cupiebant maiorum mysteriorum participes), ante quinquennium instituunt. MEVRS. c. 8. extr. Conf. IS. CASAVBONVS Animaduers. ad ATHENAEVM Lib. VI. c. 15. p. 281. sq.

⁽¹⁶⁾ Vbi domesticam societatem & coniuctum habuit cum GEORGIO LEHMANNO S. S. Theol. D. & P. P. O., Sacrorum Praefule, magistros vero in Ethicis, auditionibus OTTONEM MENCKE Theol. Licentiatum, in Hebraicis



nondum satis ea omnia sibi didicisse videretur, quibus adiutus ad ipsa posset adyta disciplinae sanctioris penetrare. Quocirca et Ethicas iterauit ibi auditiones et Hebraicas, addidit Physicas, Mathematicas, Chaldaicas, Rabbinicas, addidit accuratiorem lectionem Graecorum auctorum, in primis poëtarum, addidit alia, quae et incitare legendi quandam audiendique auditatem et satiare poterant. Nec se prius hac ratione preparare destitit, quam, præmio horum laborum reportato laureaque philosophorum accepta, quum alia dedisset specimina magnorum in his rebus profectuum publica (17), tum illud, quod alios docere successu inciperet optimo.

O pæclarlam sollicitudinem! Auditores. O industriam insignem! O raram hodie nimis, ad venerandam Theologiae scientiam accedendi, tarditatem! Eum demum, qui cum laude traderet aliis caeteras disciplinas, dignum se iudicare, qui disceret sanctiorem! Ita proœcto si in huius quasi quodam atrio diutius morandi nunc quoque vulgo mos esset, Auditores, Theologis futuris, cessarent sine mora assidue multorum gravissimaeque querelas. Cessaret ille tot animorum leuum parumque sapientum in ciuitate sacra tentandi, murandi, nouandi omnia pruritus. Cessaret denique deploranda quaedam iniquitas horum temporum atque infelicitas. Ita enim demum qui institutus est, ita subactus, ita exercitatus, ita cultus, intelligere recte paret, Auditores, qualia sint illa, quam vera, quam diuina, quae in libris, in monumentis, in ore, sive legenda sunt, sive inscripta, sive dicta, summorum pœstantissimorumque, qui sunt & fuerunt in sanctiori hac nostra ciuitate,

Hebraicis, Chaldaicis, Rabbinicis STARCKIVM, A. M. in Physicis IOH. GOTTLIEB HARDTIVM, in Mathematicis WERNHERVM, tum A. M. post Imperatoris a consiliis aulicis, in Graecis CARPOVIORVM illum pœceptorem fere communem, celebrissimum CYRILVM, hoc est, IOU. GODOFREDVM HERRICHEN, in Theologicis illos, quos mox in oratione laudamus.

(17) Bis enim eo tempore disputauit de veterum philosophorum circa naturam Dei sententiis, Lips. 1699. 4.



uitate, Theologorum! Ita homo formatus ipse cernit & diuidicat ea, quae imbibenda ministrantur. Ita praeparatus & effectus, vtrum emanent omnia, annon, quae docentur, e sacris fontibus vniuersae veritatis, explorare, discernere, iudicare recte potest.

Atque illud efficere, Auditores, hinc tandem, vnde dictum est, incepit CARPOZIVS, audiuitque Lipsiae SELIGMANNOS, SCHMIDIOS, GÜNTHEROS, quanta nomina! quanta veritatis lumina Euangelicae! Audiuit vero? Immo vidit, vt ita loquar, artifices tantos in sua quemlibet arte solerter mirificeque versantes! Vedit vera eruere, docere, stabilire diligenter atque firmiter! Vedit grauiter & acute destruere, disicere, dissipare falsa! Vedit fidei nostrae formulam, dogmata nostra, symbola, doctrinas examissim normae quodque suae conuenire. Vedit, eadem legi in codice sacro, quem recte iam tum interpretari inceperat, quae leguntur in libris diui LV THERI & sociorum genuinorumque successorum, quae sonant apud nos (18) per discentium scholas & auditoria dissentantium, quae credenda denique & agenda proponuntur in templis. Vedit, inquam, haec omnia, & eorundem magnorum hominum opera vtendo, eorundemque sub moderamine quandam meditando militiam, feliciter imitari conatus est acumen illorum insigne, paeclaram habilitatem, solertiam denique singularem.

Interim ipsum iam quadriennii spatium cum dimidio anno effluxerat, ex quo in forum progressus erat academicum. Quo tempore caeteri transacto, plerique nondum absunto, ab illa solent mercatura bonarum artium sanctorumque literarum officina discedere. Sed hi fere sunt illi, qui, aut quod

C 2

rerum

(18) Vbi ergo? Lubecaе profecto, quae Numinis est gratia singulariter praedicanda, atque vtique etiam alibi Vtinam nullibi non, vbi instituuntur ii, quos Lutheranos nominant. Hoc vero quid est aliud, quam optare, vi ciuitas Christianorum Lutherana ubique sit Lutherana? Quod melius non optaretur, sed oculis cerneretur!



rerum necessariarum premuntur incopia, aut quod artos nimis
 limites omnium maxima disciplinae posuerunt, aut quod in-
 genii hinc magnitudini praefidunt, hinc imbecillitate terren-
 tur, aut quod non toti se Theologiae, sed vel vni tantummo-
 do illius, vel ad summum aliquot partibus, addixerunt, aut
 aliis de causis auolant prius, quam nauiter omnia potuerunt
 accurateque scrurari, seque singulis in artibus ita, quemadmo-
 dum decebat, exercere. Quo fit, vt iidem plerumque non
 Theologi euadant, sed paullulum modo Theologia tinteti aut
 concionatores (¹⁹), aut historici, aut philosophi, aut denique
 ne illud quidem. Haec quia minime CARPOZOVIVS ambie-
 bat, sed iustum Theologi magnitudinem studiebat assequi, non
 mirabimini, Auditores, quod tempus haud paullo longius in
 academia, quam nunc scilicet plerique, commoratus est. Ac-
 cedebat illorum temporum ratio, Theologiaeque cum illa aeta-
 te studentium prope cunctorum exemplum, qui literis sanctio-
 ribus addiscendis minime desultoriam hanc operam, qua nunc
 plurimi utuntur, impendere solebant, sed serio, industrie, diu,
 his rebus immorabantur. Illud quoque videbat vterque
 CARPOZOVIVS, pater & filius, vtile futurum esse, si, quae
 percepta erant dogmata sanctiora a doctoribus acadiae vnius,
 ea tradentibus etiam magistris alterius audirentur, vt, quod
 in altera felicius, quam in altera, doceretur, illud omne ce-
 deret in discentis utilitatem & simul omnium magis consensus
 Theologorum animaduerteretur.

Ergo

(¹⁹) Ista dum dixi, absit, vt quemquam contemserim concionatorei sacrum,
 qui rerum suarum fatigit & fatigatur. Tantummodo talen virum inter,
 magno in pretio habendum, atque Theologum, qui proprie diceretur,
 mihi putauit licitum esse, discrimen aliquod statuere cum MOSHEMIO,
 qui semper alium dicebat esse Theologum, alium praecomen sacrum ver-
 bique diuini ministrum. Conferatur B. Viri postumum opus: *Kurze An-*
weisung die Gottesgelahrtheit zu erlernen p. 25. fqq. & p. 170. fqq.
 Sed tamen ab uno viro personam posse vtramque suffimeri, quis est qui
 neget, quum exempla hanc rem plurima, in his maxime Carpzovianum,
 quin ipsius MOSHEMII, satis edoceant?

Ergo bienniis duobus additum fuit tertium, idemque ab hoc Altorfii transigendum. Vbi quamquam similiter, ut Lipsiae, doctorem potuisset agere, si voluisset, aliorum, tamen non nisi discendo seseque exercendo, quo maiore quondam esset habilitate, tempus omne consumbit. Ac SONNTAGIO maxime, Theologo summo per uagataeque doctrinae, ducentum se iussu Patris gubernandumque commisit & ad quae-dam denuo subsellia discentium inferiora descendit, ut opportunitatibus omnibus huius academiae frueretur. Quas quidem recordatur facilime, Auditores, qui modo, praeter SONNTAGIVM ipsum, caeterorum nomina summorum virorum, ut STVRMII, WEGLEITERI, WAGENSEILII, qui tum erant Altorfii decora, cogitat. Habuitque rationem earum rerum omnium, quibus quum apte praeparantur, tum etiam perficiuntur penitus, Theologi. Quo primum referimus, Auditores, ab ipso tractata Physicorum experimenta, reiteratas literas Hebraicas, Rabbinicas atque Graecas, additas his Thalmudicas & Syriacas, praecepta quoque concionandi percepta, noritiamque haustam rituum sacrorum, inter Romanenses in obeundo cultu diuino visitatorum: deinde quod studium impendit interpretandis quibusdam libris virtiusque federis in codice sacro praincipis, & examinandis denuo argumentis omnibus, quibus quum affirmantur huius fidei nostrae dogmata, tum contraria refelluntur. In primis huc referendam esse censio paternam SONNTAGII industriam, qui priuatos intra parietes duobus filiis tertium adiunxit CARPOZOVIVM, ut ipso moderante tres strenui milites arma frequentissime vibrando masculine tueri discerent haec, quae de sacro codice depromta Lutheranorum libri, qui vocantur, Symbolici continent. Ut taceam, quae his similia iungebantur, exercitia publica (20).

C 3

Quibus

(20) Conscriptis enim Altorfii libellum eruditissimum *de Synagoga cum honore sepulta Altorf. 1702. 4.* eundemque publice SONNTAGIO moderante, sicut aliud ab isto ipso emissum *de differentia inter baptismum Christi & nostrum*, ab eruditis aduersariorum obiectionibus vindicavit. Saepe etiam aliis ibidem exercitiis causa more academico publice arma intulit.



Quibus rebus omnibus integro biennio, quoad ornatuit Noribergensium Athenas, studiose religioseque tractatis, ut coronidem imponebat insignem dignamque tam multiplici molimine, reuocatus a patre concessit iterum Lipsiam, ut, quae percepérat alibi a caeteris doctoribus summis, eadem ibi **ITTRIGO** tandem duce, Theologorum illo tempore principe, polireret, augeret, denique consummaret. Adeo magno tempore, magno labore, magna industria constabat illud, quod perficere **CARPZOVIUS** animo destinauerat!

At vero noua sese nunc subito rerum facies ostendit, Auditores, iter atque peregrinatio **CARPZOVI**. Nam quum est apud **ITTRIGIVM** eiusque limam exoptatissimam experitur, opinione celerius a primario quodam consiliorum Regis administristro⁽²¹⁾, in Belgium Angliamque profecturo, peregrinationum eligitur concionator. Quam ego rem pro instituto paucis tantummodo verbis explicaturus, occasionem simul, quae offertur, amplectar, id quod tertium erat propositum, exsequendi, scilicet, ut initium faciam de exercitatione Viri summi varioque rerum vsu experientiaque dicendi. Qua de re dicam ita, ut pateat primum, quibus illa modis parta fuerit, deinde quos fructus habuerit. Et elucebit ita denuo maxime, quantus fuerit Theologus **CARPZOVIUS**.

Etenim praecepsit hunc abundantem philosophiae pariter atque Theologiae, quid magis poterat exemplis augere, hoc est, vsu atque experientia, quam illa ipsa peregrinatio, cuius occasio descripta est, Auditores, in qua annum ipsum ille consumsit? Experiendanae erat fidei firmitas, in qua nutritus ante fuerat, quemadmodum arbores dicuntur ventorum iactatione firmari? Abundabat Anglia, scatēbat Belgium iis hominibus, quorum erat ita consuetudine vtendum, ut ne quis ab
ysus

⁽²¹⁾ CHRISTOPHORO DITERICO BOSEN, Potentiss. Polonorum Regis & Saxonum Electoris a consiliis, quum sanctioribus, tum bellicis, qui Legatus extra ordinem grauiissimus de rebus eo anno, Saeculi tertio, ineunte mittebatur ad Annam, Angliae Reginam.

usus locum haberet, neque imbibetur error ullus, sed ut
 omnis opinio falsa & inanis audientiore animo longiusque re-
 pelleretur. Proposueratne sibi, ab aliis, qui non addicti erant
 huic religioni nostrae, penitus expiscari, de D E O quid senti-
 rent rebusque diuinis? Oberrabant in Britannia non caeteri
 modo Britanni, sed in primis, praeter Iudeos admodum ibi
 florentes, Quakeri etiam et homines fanatici reliqui, ut phil-
 adelphica, quae nominari volebat, societas Ianae Leadae, apud
 Belgas vero itidem Iudei, Quakeri, reliquique fanatici, ut
 Gichtelius, Poiretus, alii, nec minus Sociniani, in his C R E L-
 L I V S, item Arminiani, Mennonitae, Beckeriani. Consuetudo-
 ne quaedam exercitatioque capienda erat administrandi sacri
 muneris et frequentius concionandi? Hoc ut ageret, a B O S E-
 N I O, Regis Legato, viro illustri, conductus erat. Stude-
 batne se adsuefacere ad ferendos quorumlibet hominum mores,
 omniumque, quoad esset licitum, studiis obsequi? Quis magis id
 poterat efficere, quam ille peregrinator, qui non solum Eu-
 ropae celeberrimas quasdam peragrarer regiones, sed in ipso
 comitatu haberet, quibus quum inferiorem se, tum superio-
 rem gereret, quibus iisdem se humanitatis elegantiaeque stu-
 diosissimum exhiberet? Augendane erat liberalium artium
 sanctiorumque doctrina literarum et rerum optimarum scien-
 tia? Cui magis id licebat, quam Anglorum eruditio hospiti
 atque Belgarum, ingenii gloria dudum doctrinaeque laude flo-
 rentium? Magisque, quam illi, qui in Anglia nunc A L L I X I O S,
 BEVEREGIOS, GRABIOS, BENTLEIOS, H V D S O N O S,
 viros eruditissimos, inuisebat, nunc inibat Theatrum, quod di-
 citur Oxoniae, Sheldonianum, nunc ibidem exposita saepe
 lustrabat Arundeliana marmora, nunc Bibliothecam Bodleia-
 nam frequentabat! In Hollandia conuictor erat C R E N I, viri
 literatissimi, eiusdemque, sicut T R I G L A N D I, auditor?
 Spectator idem W I T S I I M A R C K I I que alma erudita publice
 vibrantium? G R O N O V I O R V M praeterea, P E R I Z O N I O R V M,
 S V R E N H V S I O R V M, prope sodalis, hucusque posterioris in
 perlustrando Iudeorum Thalmude comes? Contemplator
 idem diligentissimus et admirator instructissimarum Biblioth-
 carum



carum et eorum apparatus longe copiosissimorum, quae Musæa dicuntur, vel Physica, vel Anatomica, vel Nummaria? Idem in ipso itinere prosequendo doctissimorum præstantissimorumunque virorum et salutator et auscultator cupidissimus, ut DALENIORVM, ROELLIORVM, VITRINGARVM, RHENFERDIORVM, BRAVNIIORVM, GOVSSETIORM, BERNOVILLIORM, caeterorum? Qui denique multorum hominum ut vrbes, ita mores vidit, et artes et scholas et templas et disciplinam, et ybique locorum simul rerum copias ad intelligendum utilissimarum doctissimasque studuit sarcinulas colligere?

Ac vidistis hactenus, Auditores, quanta caluerit exercitatione foris. Quid domi? Quid itinere confecto in patria? Primum ipsius paene sub oculis Parentis et intelligentia crevit et maximarum rerum experientia et obeundarum peritia. Vix enim Lipsia, quo se statim ex itinere contulerat, reuocatus a Patre fuerat domum eiusque colloquiis aliquo tempore consiliisque et administrationibus usus, quum ipsi aliquot ex ordine sacri præconis munera ad aedem principio veteris Dresdae, deinde nouae, conferrentur administranda (22). In quibus eum quomodo putatis, Auditores, fuisse versatum, qui et Patris, prudentissimi Theologi et maxime experti, habebat exemplum, præcepta, monita; et ipse per se scientia prope insolita rerum sanctorum et ad sacra facienda pertinentium erat instructus? Quanam auctus fuisse censendus est exercitatione dicendi, tum prospiciendi suis atque consulendi, denique eosdem docendi, iuuandi, firmandi, consolandi, gubernandi? Mox ab obitu parentis optimi, quem acerbissime luxit, anno proximo (23) Lipsiam eandem retrouersus, Amplissimi Senatus illius urbis accitu, tantum absfuit, vt occasione careret exercitandi ingenii acuendaque mentis maximis et sanctissimis rebus exultae, vt ad

(22) Scilicet anno saeculi quarto ferme exspirante Diaconus in aede constituebatur veteris Dresdae, anno sexto ineunte nouae, in qua deinde ad gradus etiam altiores adscendit.

(23) Saeculi octauo.



ad sacra munia mox alia accederent, primum ipsius arbitrio, deinde potentissimi Regis mandato, in quibus ille tantopere posset, quantum antea nunquam, qui vir esset, ostendere⁽²⁴⁾. Nec enim nunc in sacro tantummodo suggestu, vt antea, CARPZOVIVS alta voce gratuique, grauioribus argumentis, rerumque pondere maximo, visus est hominum mentes agitare et incendere. Non modo priuatim quemlibet, qui veller, in sacrario, publice ante aras, denique multos, quoties ferret occasio, domi suae diuino pabulo refecit, saturauit, erexit, alios perterrituit auctoritate diuina. Quamquam illud omne serio semper et accurate et meditate &, vt digna res erat, omni religione perfecit adeoque per caeteros gradus ad Archidiaconi dignitatem ob merita adscendit. Sed tamen idem nunc itare in auditoria, scholas eruditas aperire, auditoribus cingi discendi cupidissimis, docere, disputare, libros edere, quin omnia ea efficere non sine plausu magno, quibus ii fere censori solent, qui caeteris omnibus ingenii gloria & doctrinae laude liberalissimisque studiis antecellunt. Quanta haec quaeso Viri fuit exercitatio, Auditores! Quantus animi calor! Ingenii motuum quanta vehementia! Quantam his rebus ipse praestantiam virtutis atque meritorum est consecutus! Quam dignam illam, quae trium lustrorum spatio tergeminis Theologorum honoribus ornaretur⁽²⁵⁾! Vliusne rei, quae ad vim hominis eruditii praestantissimique Theologi pertinet, incitiam imperitiamque remansisse in illo Viro, vel suspicari possumus, Auditores, cuius quotidie ingenium fertile tot rebus tamque magnis subigeretur? Qui nunc in suggestum et concionem, nunc in auditorium, nunc ad audiendas poenitentium confessiones, nunc in cathedram, nunc rursus ad

D

aegro-

(24) Statim enim et sponte coepit his, in quibus erat studium, et Theologiae se magistrum exhibere, et philologiae, et artis concionandi. A. xiii. a Rege prouinciam accepit extra ordinem docendi Theologiam, A. xix. ordinariam Hebraicae reliquarumque linguarum orientalium docendarum.

(25) Baccalaureus enim Theologiae factus est A. ix. Licentiatus A. xiv. Doctor A. xxiv.



aegrotantium cubilia mortique vicinorum aduocaretur? Nunc populariter diuina dogmata, nunc subtilius explicaret? Nunc Criticorum artes tractaret, nunc Antiquariorum? Nunc Philologiam, nunc Theologiam doceret? Nunc codicem sacrum interpretaretur, nunc Theologorum libros exponeret? Nunc oratorias artes doceret sacri pastoris, nunc ostenderet, hunc quae prudentia deceret? Nunc manu duceret amicos veritatis, nunc inimicos retunderet? Nunc ita scribebat eleganter enucleatque, nunc ita explanate meditateque loqueretur, ut si alterutrum horum studiorum Ipsius fuisse vnicum? O diffiliminarum rerum atque dissimillimarum exercitationem plane singularem!

Quos vero res illa fructus habuit? Nempe primum illos, qui in decus eximium utilitatemque magnam redundarunt totius sacri coetus Lutheranorum, Auditores: deinde illos, qui certis quibusdam locis et in his maxime Lubecae profuerunt. Quibus de rebus supereft, ut dicatur, quam fieri potest, breuiissime.

Nec vero commemorabo nunc eruditionem, peritiam, dexteritatem, solertiam ipsam diu Praesulis ex illis, de quibus dictum est, exercitationibus enatam, etiam si liquet, ex illa re quantum accesserit decus, quanta parta sit utilitas omni sacrae Lutheranorum ciuitati. Melius ipsi de his rebus, Auditores, et libentius sententiam diceris, quam me dicentem audietis. Aequitas autem eius, et prudentia, et auctoritas, et librorum praestantia ab eodem elegantissime scriptorum, mea quoque oratione praedicari quodammodo debet.

Aequus igitur & benignus erga omnes fuit, etiam illos, qui sunt ab his sacris nostris alieni. Non illud dico, Auditores, molliter illum atque segniter ignaque tractasse, nedum prodidisse, res diuinias, ut hominibus parceret. In hac animi mollitia ac lenitate si qui sunt, qui religiosam quandam tolerantiam ponant, quam quidem crepare magis hodie multi, quam



quam intelligere videntur, iis aperte palamque CARPZO-VIYM negamus eum aut fuisse, aut esse voluisse, qui calculum sibi ab ipsis addi cuperet. At patienter tamen humaniterque, at sincere, moderate, clementer agere cum quibusuis hominibus, etiam a vero aberrantibus, didicerat, ut neque affingeret iis falsam culpam, neque veram laudem detraheret, neque iniuidiam conflaret immerntibus odiumue iniustum importaret, neque tamen plura audentibus, quam ius fasque sinebant, aliquid concederer. Annon ipsi sunt aduersarii, hanc erga se ab illo iustitiam seruatam esse, confessi ⁽²⁶⁾?

Prudentiam vero suam, ob quam praedicabatur ab uno quoque saepius, ore calamoque multis modis & omnibus in rebus ostendit auctoritate pacis atque tranquillitatis ita semper fuit, ut defendenda iura, nunquam periclitanda esse censeret & caute agendum putaret ibi quoque, ubi minime omnes, timendum aliquid esse, suspiciati fuissent, denique in re quacunque adspicere videretur etiam atque etiam, quae DEO tribuenda essent, quae principi, quae magistratui, ne qua iurium confusio summorum & rerum perueritas oriretur. Cuiusmodi consiliis, ecquis est, qui non intelligat, omnino multas fuisse saepe clades a re sacra calamitatesque declinatas?

Auctoritate iam tanta fuit, quantam tribuere illi Viro conuenit, qui oras fere omnes, in quibus pretii aliquid literis conceditur, nominis sui celebritate compleuisset; a quo consilia sibi expeterent vndique & omni tempore complures, qui

D 2

aut

(26) Dudum e. c. Vir summe venerabilis atque celeberrimus GABRIEL GUILIELMVS GOTTFEN prouocauit ad iudicium Belgarum, qui scripserunt in Republik der Geleerden A. 1723. mensibus Sept. et Octobr, adeo remotum esse CARPZOVIUM in introductione ad libros Canonicos V. T. ab omni studio partium, daß man aus seiner Schreibart nicht errahen sollte, zu welcher Religionspartey er gehöre, wenn man es nicht aus andern Vnständen ablehmen könnte. In vita Carpzoviana Gelehr. Europa P. I. Conf. admod. reuer. et praeclariss. M. PETRVS HERMANNVS BECKER, A. M. Pastor Jacobaeus nuper electus, vir meritissimus, cui Deus faueat! in Biographia Germanica p. B. 2. b.



aut de fidei capitibus quibusdam, aut de expedientis utiliter rebus, dubitarent; in quo Reges summique Principes (27) magnam posuissent fiduciam; quem denique certatum fere & hi, & academie, & ciuitates, non uno tempore, suum partim facere, partim vindicare studiissent (28).

Quae quidem omnia nemo mirabitur, Auditores, qui, si vel maxime ignoret ipsum, si modo tantum Virum ignare quisquam potest, aliquot modo libros ipsius semel perlustrauerit. In quibus admirabili constructione verborum & admodum numerosa compositis, non crepundia vñquam, non leues res tractavit & exiguae, sed adscendit ad rerum summas, ut magnum Viri ingenium, magnum animum agnosceres, & grandia molitus est, & magnas utilitates creare aggressus ingenti ausu nisique insolito, magnas denique hostium strages edere conatus. Vel *introductionem* eius *ad libros sacros foederis antiqui* quis satis praedicet, eamque, quam *Criticam ille sacram* vocavit? Quos libros inter prima ingenii doctrinaeque monumenta iuuenis emisit. In quibus quantus labor manifestatur auctoris? Quanta vel ab inuitio eruditio ostenditur? Dum enim se modestiae cau-

fa

(27) In his in vicinia Princeps quidam Serenissimus, de quo memorabilia sunt, quae narrantur Actorum Rev. Ministerii Lubec. Tomo VII, quem benignissime mihi commodatum ab adm. reuer. & praeclariss. eiusdem Ministerii Seniore, ADDE BERNHARDO BVRGARDI, viro meritisimo, Fautore meo eximie colendo, gratus praedico, fol. 384. a. b.

(28) Aliquot e. c. principum euocationes vt antea modeste declinauit, sic A. XXX. a Rege Polonorum non nisi admodum inuitio nec ante concessus est Lubencensibus illum ambientibus, quam ad horum invitationem similis argumenti literae Gedanensis accessissent, ab ipso autem primo quoque tempore & iusta quaque conditione redditus promissus esset. Alio tempore, quum eum Hannouerani in servitium pretrahere cuperent Regis sui regiaeque Georgiae Augustae, tum recens conditae, non modo Magnificus Senatus, sed prope universa Lubencensium multitudo, omnem mouerunt lapidem, vt refinearent. Vid. idem BECKERVS vir praeclariss. in Biogr. p. B. i. b.

sa tironum tantummodo doctorem professus est (29), eruditissimis tamen viris quae grata fuerunt & accepta, ubique depromisit. Hisque, qui diuini codicis adoriri auctoritatem non erubescunt, cuiusmodi homines tum maxime in Anglia, Belgio, Gallia, alibi, virus suum quaquaversus dispergere inceperant, tot tantaque tamque firma opposuit argumenta, quae sufficere nunc quoque possent ad quorundam hodie refrenandam licentiam, si non magis hominibus arrideret plerumque rerum nouitas, proh dolor! quam veritas. Id enim egisse semper visus est, ut, quum non minorem se nouatoribus quibusque vel ingenio, vel scientia, ostenderet, immo plerisque majorem, iisdem tamen se ad propugnanda quaelibet antiquissima plerumque, tanquam verissima, opponeret (30). Et utrumque illud opus tam cupide fuit

D 3

exceptum

(29) Modestiam hanc, dum praefatur ad *Introductionem in libros V. T.*
p. * * * 1. a. ita manifestat: *Studiose iuuentu*t*isque scripsisse me cogitent, qui vel a tanta librorum sapientiae instructi non sunt &c.* Ad *Criticam sacram* p. a. 3. a. ita: *Haec causa me mouit, ut modum praeirem iuuentuti, quo & ipse de inestimabili diuinorum oraculorum thesauro recte sentire & male sentientium loquentiumque serphas elidere ac rezundere deberet.*

(30) Hoc quoque de se ipse indicat prioris libri loco eodem, his verbis: *Si qui alto conatus nostros supercilium despiciant, ea cum primis de ratione, quod non ad facultati morem nouis opiniorum portentis turgeant, sed trito iam aliis tramite incedant, ii nec lectionem aut approbationem libri iniitis sibi obtrudi existimant & id de me sibi persuadeant, non iam noua, quam vera, me sectari & iis saltem premium operae staruere, quae ad sacrarum literarum & statuminandam auctoritatem & iuandam faciliterandamque faciunt lectionem; iis vero Criticorum commentis plane non delectari, quae vel meritis nuntiuntur coniecturis & tam faciliter repudiantur negorio, quam adstrununtur, vel dignitatem sacrarum literarum in discrimen adducunt, aut labis zel corrupselae eis maculam adspargunt. Ad posteriorem dum praefatur, p. a. 4. a. ita loquitur: Nec vel auctoritate dicentum, vel nouitatis grazia, vel partium studio, vel animi prae affetti imperu, a veri rectique tramite abripi ac dimoueri me passus, ita iudicau de singulis, ut ipsa rerum fert indoles ac natura. Non itaque, quam inaudita & noua sit, cui inbaererem, sententia, sed quam vera,*
solidas



exceptum, ut vnum ante annos nondum multos iterum, alterum haud diuturno tempore ter, a typographo recudendum fuerit (31). Apparatus vero *Criticus* o quam copiosus est! quam vere nominandus apparatus! quam idoneis ex locis, quam accurate, quam studiose laborioseque congregatus! ad codicem sacrum interpretandum quam industrie accommodatus! Inque illa *inquisitione religionis* (32) eorum hominum, qui se fratres Bohemicos nominari volunt, o quam dilucide manifestatur ille magnus *Historicus*, magnus *Theologus*, magnus *indagator veri*, scuerissimus errorum expulsor! Idem in libellis vel disputandi, vel praefandi causa editis non nisi dignissimas res & utilissimas & maxime salutares solerter executus est. Idem in concionibus, quas numero satis magno quum singulatim edidit, tum quoque

con-

solida & sobria, *pensi habui*, &c. Et p. sq. ita: *Iis vero, quibus* quum *fordent omnia, quae ante nos alii iam dixerunt & senserunt,* *tum volupe est, Scripturae auctoritatem, si minus opero Marte* adoriri, *per latus tamen confodere, hanc meam probatum iri operam*, neque confido, neque cupio, *quam instituti disparest sectemur* uterque rationes.

(31) *Critica sacra*, Lips. 1728. 4. primum emissā, iterum ibidem prodiit vna cum indicibus utilissimis A. 1748. *Introductio* autem, quae primum exierat Lipsiae 1721. 4. emissā est iterum ibid. 1731. ibidem quoque tertium, quod ad Part. I. attinet A. 1741. quod ad reliquias A. 1757. Vid. maxime reuerendus D. IOH. DITERICVS WINCKLERVS, Hamburgensium *Theologus eruditissimus & admundus disertus*, Vir solide doctus & in primis literatus, Fautor meus insigniter colendus, in vita Viri, quam inter caeterorum Vitas, quae exhibent *Nachrichten von Niedersächsischen berühmten Leuten vnd Familien*, numero quartam decimam cum eruditis lectoribus communicauit Hamburgi 1767. 8. Quod opusculum caeteris, quae adhuc enarrarunt CARPOVII vitam, omnibus palnam facile praevipit, p. 142. sq.

(32) *Religions - Untersuchung der Böhmischt - vnd Mährischen Brüder*, nebst D. Ioh. Hederici Beweis, daß diese Brüder weder öffentlich, noch ins besondere, mit denen Gemeinen der Augspurgischen Confession einstimmig seyn. Lipsiae 1742. 8. mai.

coniunctim, ostendit omnibus abunde, quam beati essent illi, qui tantum oratorem, tam caste simpliciterque docentem, tam digne diuinis rebus & conformiter oraculis sanctissimis & apposite ad tempora dicentem, tam callide mouentem animos & homines emendantem frequentissime audiunt (33). Ex quibus rebus omnibus quanta laus, quanta utilitas redundet in omnem ciuitatem sacram Lutheranorum & redundauerit semper & omni tempore redundatura sit, vnicuique tam perspicuum esse potest, vt nulla res oratione indigeat.

Quid illis verbibus euenit illisque regionibus, quarum alias ille post alias obeundis muneribus illustrauit? Quid Lubecae, vbi aliis inseruendo consumtus est tandem? Nunquam Dresda, nunquam Lipsia, nunquam Saxonia de laudibus tanti Viri conticescat. Nunquam Lubeca, vbi maxime diutissimeque, quam alibi consecutus erat, eruditionis atque experientiae praestantiam, speciminibus ostendit innumeris, quantum Viro debeat, aut praedicare desinet,

aut

(33) Plurimi mecum assentientur Viro summe venerab. D. JOHANNI BENEDICTO CARPOZOVIO, Abbatii Regio-Lothariensi, Theologo celeberrimo & inter raros nimis hodie referendo, de genuina nempe Lutheranorum formula meritissimos, Fautori meo inter paucos collendo, dum in his, quae praefatam ad opus illud, quod hic Propatrii ipsius filius Lipsiae & Quedlinburgi A. 1761. 4. emiserat: der Eingang Gläubiger Christen durch den Tod in das Leben in L. Be trachtungen vom Tode vnd XX. Erklärungen von dem ewigen Leben, de toto genere horum Viri summi laborum ita iudicat: Diese Abhandlungen alle, sind in der That aus einer wahren Gottes-Fülle geflossen, Hier strömen Worte und Weisheit, nebst Erkenntniß der göttlichen Geheimnisse. Hier wird die reine Lehre unsers Glaubens, mit Ehrerbietigkeit und Demut für GOtt vorgetragen. Solche evangelische Predigten sind Geist und Leben. Durch solche wird der Verstand der Leser erleuchtet; ihr Wille von der göttlichen Wahrheit überzeugt; Glaube und Zuversicht und Freudigkeit, nebst der Hoffnung und Versicherung der ewigen Seligkeit werden empfunden. Denn alles ist auf IESUM und sein Wort gegründet, welches einen Sieg nach dem andern erhalten muß.



aut recordari intermitteret. Ille statis concionibus, vt hoc
vtar, die dominica habendis, ita diligentem nauauit ope-
ram, vt sacrum codicem integrum, quem muneris causa
explicabat, integrum, inquam, id quod Praesulum apud
nos ante illum nullus (³⁴), explicando emetiretur. Ille prac-
terea sacris in rebus et ad DEI cultum pertinentibus e-
mendare studuit summa diligentia, quae apud nos virtio la-
borare videbantur, et stabiliuit omni opera, quae digna
erant laude praeclera.

Nam vt plura omittam, pauca modo attingam, quae
nunc a Sacerdotibus admodum reverendis in concione pu-
blica paruulis instituendis, antehac insolita apud nos indu-
stria,

(³⁴) Neque tamen omnino vera sunt, quae scripta reliquit IOHANNES
BACMEISTERVS Medic. D. et Prof. Publ. Tubingensi apud IOH. IAC.
MOSERVM in *Miscellaneis Iuridico-Historicis*, vbi p. II. occurunt
primo loco LVCAE BACMEISTERI Theol. D. et P. P. O. Rottsch,
Acta Lubicensia sive *Actio Ministerii Lubicensis* cum Lamberto Fried-
land &c. in Animaduersonibus ad illa Acta p. 60: *Ez et illud quoque*
de Superintendentis Lubicensis officio singulariter obseruandum, quod
primo aduenit: sui anno, diebus Dominicis Epistolás Dominicáles, in
hebdomade autem die Saturni (his enim diebus sermonem ad populum
semper babere tenetur), quamcunque materiam e sacris eligere ipsi
complacerit, publice pro concione pertractare & explicare posse;
in sequentibus autem annis & quādiū Lubicae subsisterit, non nisi quin-
que saltim Libros Mosis, quos Pentateuchum uno verbo vocant, a capite
ad calcem, ut dicunt, publice pro concione inculcare populumque in illis
informare ipsi incumbat, unde in prouerbium fere abit: Dass die Lü-
bickischen Superintendenzen selten ins gelobte Land kommen, sondern
fässt alle in der Wüsten sterben; paucissimi namque, imo dicam nulli co-
rum, eum vitae terminum Lubicae attingunt, qui requiritur ad plena-
riam totius Pentateuchi absolutionem. Nec enim de prouerbio illo, parum
pio, quidquam apud nos hodie constat & vel exemplo B. CARPZOVII
declaratur, haud satis esse fide dignum, quod in his verbis narratur de
Pentateucho. Conf. tamen Actor. Minister. T. VII. fol. 366. a. Re-
liqua verane sint, an minus, examinent, quibus est integrum,
in his illud de concionibus profecto Saturni die habendis, quas no-
stra certe memoria Praesul semper die Louis apud populum habuit.

stria, summa cum laude impenditur, ea Virum alium maxime reuerendum quondam et celeberrimum, Deique Seruum fidelissimum et meritissimum⁽³⁵⁾, ita MAGNIFICO SENATV annuente auctorem habuit, vt ille, si viueret, confessurus esset, a CARPZOVIo, qui dudum ante aliquoties eandem rem egerat, fuisse sibi negotium, vt ita dicam, facile relictum.

Deinde hymnorum numerum, quorum publice, dum sacra canuntur, usus est, imparem antea vel desideriis hominum, vel rerum occasionibus, approbante rem laudabiliiter MAGNIFICO SENATV, nouis hymnis et praefantissimis vndique Collegarum ope conquirendis egregie auxit⁽³⁶⁾. Tum caetera quoque, quae per urbem singulis in templis, dum fiunt sacra, rite seruantur, ita libri cuiusdam ope vel statuere conatus est, vel ordinare, consilio illi SENATV eodem annuente, vt ipsi, si quid in illo libro recte constitutum est, gratiae magnae debeantur, si quid desiderari fortasse potest, culpa nulla tribuenda sit⁽³⁷⁾. Eo-
rum

⁽³⁵⁾ b. IOHANNEM HERMANNVM BECKERVM, S.S. Theol. D. Pastorem quondam ad D. Mariae longe meritissimum, BECKERI, quem ante laudabamus, Genitorem. Vid. Actorum Rev. Ministerii Lub. Tomus VII. fol. 450. b. sq. Conf. fol. 363. a. 366. b. 416. a. 432. a. 460. b. 461. a.

⁽³⁶⁾ Vid. eorundem Actorum Tomus idem fol. 425. a. b. 426. b. sq.

⁽³⁷⁾ Ibid. fol. 363. a. 366. b. 416. a. 427. b. n. 3) 432. a. 400. b. 461. a. Prodiit vero liber ita inscriptus: Lübeckisches Kirchen-Handbuch, in sich haltend ein Euangelienbuch, Passionsbuch, Catechismus-Ordinations-Tran-Tauf-Beicht-Communion-und Agendbüchlein, auf Verordnung eines Hochdeilen Hochweisen Raths, von E. Ebrw. Ministerio ausgegeben. Lubecae 1754. 8. mai. Conf. Rev. WINCKLERI Nachrichten von Niederfächs. ber. Leuten und Familien 19. St. p. 151. Verus auctor est BERNH. HENRICVS STEIN, IOHANNIS PETRI, Pastoris Aegid. filius, Lubecensis, Rev. Minist. Candidatus. Vid. Actor. Minist. Tomus idem fol. 366. b. Reuifum esse A. 1748. quin a. b. BALTH. GERH. HANNEKENIO Minister. eo tempore Seniore, tum a. b. HENRICO SCARBAV, Pastore Aegidiano, legi ibidem fol. 427. b. n. 3). Quatenus confenserit de opusculo MAGN. SENATVS, indicatur ibid. fol. 429. a.



rum vero, qui vel sacra munera quaecunque, vel scholastica nonnulla ambirent, quam non semper antea satis accurate fuisse explorata industria et dexteritas et religiosa fides, non requieuit ante, quam huic rei medela esset, quae afferri poterat, allata (³⁸). Quin his hominibus ipsis, quam aperuit aliquando, proficiendi occasionem, dum satis longo tempore variis disputandi exercitiis statis diebus inferuit, ecquis est nostrum tam ignarus, Auditores, ut nesciat, tam ingratus, ut non in beneficij loco numerandum esse putet? ⁽³⁹⁾ Ut taceam, quas scholas olim habuerit in hoc Gymnasio, ut a teneris eos educaret, qui grauissimis aliquando et sanctissimis possent muneribus admoueri! ⁽⁴⁰⁾

Praecipue castitatem religionis adhuc apud nos in aestimabili beneficio Numinis illibatam et omnem sacrorum integratatem quam serio sibi commendatam habuerit, quemadmodum ex his, quae dicta sunt, egregie elucet, ita inepte ageret, quisquis operose veller verbis multis ostendere. Quin si maxime possent caetera, nunquam tamen illa delebuntur vlla obliuione, quae tum effecta ab illo sunt, quum illi, qui fratres se Morauos nominabant, in sacra haec pomoeria irrepsis-

⁽³⁸⁾ Vid. Auctor. Minist. Tomus idem fol. 364. a. 382. b. 383. a.b. 398. b. 402. a.b. 432. b. in primis 415. b. Quousque illi rei locus sit, ut viideas, praefertim quod ad Gymnasii doctores attinet, conf. fol. 391. a.

⁽³⁹⁾ Huius instituti non modo multi viuunt gratissimique testes, sed illorum vnius quoque monumentum publicum exstat ita proscriptum: *Kurze Erläuterung der Frage: Ob und wie ferne die Wunderweke ein Mittel der Bekehrung zu nennen seyn? &c. Sr. Hochw. dem Herrn Doctor und Superintendent. CARPZOV beym Beschlusß des gehaltenen Collegii Disputatorii, zur Dankfagung ehrerbietig gewidmet von HELMVTH IACOB GAEDIKE, Eines Ehrw. Minist. Candidat. Lubecae 1742. 4.* Hodie clarissimus Auctor Collegarum Scholae ad academ Cathedram primus est idemque meritissimus, diuque ut sit, opto!

⁽⁴⁰⁾ In his scholis Technologiam, quam vocabat, sacram tradebat Gymnasi ciuibus, inter quos tum me quoque fuisse summī viri auditorem, valde glorior. Initium factum est A. XXXI. Vid. Progr. b. Viri: de usu terminorum Technicorum in Theologia sub auspiciūm lectionum publicarum in Technologiam sacram. Lubecae 1731. 4.

❧ ❧

irrepsissent, opinione vero citius, prope rebus infectis, abirent (41). Secundum haec laudabuntur illa quoque semper, quae vigilanter omni tempore cautissimeque peregit, ut ne iura sui ordinis vñquam periclitarentur. Denique filebitur nullo vñquam tempore, quam amabilis illa fuerit sollicitudo, qua cavit assidue, ut pax et concordia Collegas inter suos vsque floreret, amoremque iidem, qui caeteris oratione commendarent, ipso factō atque exemplo suo ostenderent. Quae res nunquam maiorem apud nos laudem sacro Ordini, quam quoad Ille vixit, afferre potuit. Quis ergo maior vñquam aut fuit, Auditores, nostra memoria Theologus, aut esse debuit? Siue enim ad eiusmodi hominis praestantiam requiritur ingenium; Ille ingeniosissimus: Siue literarum studium; Ille doctissimus atque literatisimus: Siue experientia et exercitatio; Ille rerum vsu longo varioque, ut qui maxime, fuit subactus omnique meritorum gloria praestantissimus.

Ille vero vixit, eheu! Theologus ille tantus, tantum decus atque ornamentum Lubecae, vixit! Ille, qui dudum admirationi fuit omnibus, nunc est desiderio, CARPOVIVS ille summus, Auditores, atque meritissimus, vixit! Vixit et in moerore maximo luctuque ingenti non modo nos reliquit, inter quos proxime splenduit illud huc vsque tantum lumen, sed omnes, qui sunt sacris purioribus addicti, quin omnes, qui sanctiores atque reliquias amant atque aestimant literas. Ille nullis posset lacrimis satis ab omnibus deplorari, si ploranda magis, quae amisimus, quam, quod eadem habuimus, gaudendum esset. Est tibi, Lubeca, in ipso squalore funestissimo

(41) Vid. Act. Minist. Tomo eod. fol. 368. a. 401. a. b. sqq. 406. a. b. Etiam altare in templo D. Annae dedicauit, vid. fol. 381. b. & suggestum nouum in templo arcis fol. 367. b. Qua occasione quae habita est concio, exstat ita proscripta: *Euangelische Canzeln als Gnadenstühle.* Lubecae 1732. 4. Caeterorum monumentorum, quibus vir summe reuerendus & de religione & de literis immortaliter est meritus, accuratissime omnium notitiam suppeditat max. rev. WINCKLERVS, Theologus literator, quo loco aliquoties dictum est, p. 141, vsque ad 151.


Ha 5040 OK X3376755

36



stissimo, est tibi gratulandum, quod tam diu CARPZOVIO tuo, tanto fidere tuo, tanto inter Theologos heroë, frui licuit. Est, de quo glorieris, est, cuius causa innumeris tibi ciuitatibus beatior esse videaris. Est, de quo gratias summo Numini ex animo et sine fine persoluas. Est, quod memori corde teneas, cogites, recolas, quoad ipsa stabis et interires vanas videbis et stare praeclaras.

Faxit DEVS immortalis, ut videoas aliquando rerum omnium finem! Amplectatur gratia paterna Numinis indulgentissimi MAGNIFICVM ET ILLVSTREM SENATVM! Protegat Ordinem Sacerdotum et suo et tanti Viri nomine venerabilem, et alio, si fas est, CARPZOVIO exornet! Amplificet in hac vrbe rem sacram, literariam, scholasticam, quam Ille precibus semper operaque sua fructuosissima, mercatoriam denique et ciuicam, quam si non opera sua potuit, affiduis tamen precibus adiuvuit! Ita viuat Lubeca et floreat,
donec in illustri loco inter homines CARPZOVII
meritorum memoria perennis & fama
perstabit!



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



OATIO FVNEBRIS

VIRI
M SVMME REVERENDI
QUE EXCELLENTISSIMI

NIS GOTTL ARPZOVII

THEOLOGIAE DOCTORIS
PRAESVLIS APVD LVBECESES
EMMORTALITER MERITI

R E L I Q V A

I N
CATHARINIANO MAIORI
I. KAL. AVG. A. MDCCLXVII
D I C T A
A

E DANIELE OVERBECK
MINASII LVBECE. RECTORE
EVTONIC. GÖTTINGENS. ATQVE IENENS.
COLLEGA HONORARIO.

LVBECAE
GEORGIVS CHRISTIANVS GREENIVS
GNIF. SENAT. TYPOGRAPHVS.

